Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars II.
Wien, 1794 Seite 2053
Quelle:
Copyright:

homines celestia scire uolentes. Colloquium ad sanctissimum dominum nostrum papam Julium tertium. — *Regola santissima per quam gubernari deberent religiosi in ecclesia catolica et apostolica.* Religiosos, qui huic Regulae se subjicere noluerint, *ad expugnandum Infideles* ablegat Noster, *et eos expugnabunt omnino, et ibi suam experientur uirtutem, et manus domini erit cum eis: ut fiat unum ouile* &c. Neque hic solum Propheten agit, sed plura in somnis vidit, quorum etiam *Picturas* huic Scripto inserit. *Italum* fuisse e modo scribendi liquet; *Patavii* egisse e narratione *de tribus Puellis* ibidem *a.* 1552. 10. *Junii a patre occisis fol.* 66. constat; *Venetias* accessisse, habes in sequentibus: *Die preditta 25 decembris 1552 de mane quando serenissimus dux cum Illustrissima Signoria et R. legato et Illustris cesaris et cristianorum regum oratoribus miabant ad eclesiam: eis presentaui predittos libros: qui me forsan insanum existimans repudium dedit aures suas uerbis meis non tribuendo: nec quod intus esse poterat excogitando, sed sic me respiciendo transit serenissimus dux franciscus donatus* — Transeat cum illo et Lector; temporis enim et chartae miseret.

DXL.

730 Codex membraneus lat. Sec. XII. Folior. nunc 70. 4. a diversa manu probe scriptus, et rubricis distinctus ita inscribitur: *In nomine domini incipit prologus in libro de honestate ecclesie.* Initium: *Uerbum et sapientia Dei patris dominus noster ihesus christus qui pro ecclesia sua saluanda de celis descendere dignatus est* &c. Prologum excipit *Capitum* Enumeratio absque numeris, quae universim CLXVIII. censentur. *Caput* I. Operis inchoat: *Cunctis Fidelibus Liquet ouilis dominici curam beato Petro apostolo ab ipso domino commendatam. Nam cum resurrexisset a mortuis* &c. In *Cap.* CXVII. verbis: *ut ditiores vel gloriosiores inde appareant*, laborem Librarius abrupit. Extat vero Opus integrum e Codice Coenobii *Gottvicensis* in *Austria* erutum in *Bern. Pezii Thes. Anecd.* T. II. P. 2. a p. 74. Congestum illud fuit e sacris Literis, Conciliorum Canonibus, Pontificum Decretis, Patrumque Dictis adhibita etiam S. *Benedicti* Regula ferventibus Sacerdotium inter et Imperium in Ecclesia discordiis et quidem *Seculo* XII. ut ex hoc *Cap.* CXVII. initio liquet: *Summi et uniuersales pontifices Gregorius VII. et vrbanus II. atque pascalis II. uidentes tot et tanta mala que breuiter enumerauimus de inuestitura ecclesiarum uelud ex toxicata radice pullulare* &c. Cum vero *eod. Cap.* dicatur, *Paschalem* vi coactum permisisse, *ut Episcopus non consecretur, nisi a Regibus annulo et baculo investiatur*, et mox addatur: *Non igitur sanctus Papa hoc observare debet, sed*